



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

LXIV. Ha[n]onis Am[m]onitarum regis perfidia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

NARRATIO LXIV.  
HANON AMMONI-  
TARUM REX OB VIO-  
LATOS DAVIDIS LE-  
GATOS, ATROCES CUM SUIS  
POENAS SOLVIT.

2.Reg. cap. 10. & 12. Annis Mundi 2996. 2997.  
2998. 2999. Ante Ch. 1057. 1056. 1055. 1054.

**A** Cres habet ultionis stimulos læsa Majestas David ubi intellexit *Naasen*, Regem Ammonitarum, sibi fœdere junctum, vitâ decessisse, regnûmque ad *Hannonem*, Naasis filium, etiamnum adolescentem, esse translatum, Legatos misit, qui pro mutua amicitia consolationem adhiberent, funus paternum lugenti. Quod cum Legati honorificè & amanter excepti, fecissent prolixè; Suspiciosa Satraparum temeritas eò impulit Regem juvenem, ut ei benevolentia ac commiserationis officio, insignem referret ignominiam. Legatos namque pro exploratoribus per summam calumniam habitos, inauditâ causâ, locò nullò defensionis datò, nullâ ad Davidem querelâ delatâ, velut sceleris convictos, contra jus gentium damnavit, & ignominiosæ pœnæ subjecit. Raditur viris honestissimis, in publicum ludibrium, pars dimidia barbæ ac capillitij; togæ præciduntur ad eas usque partes corporis, quas nudari vetat pudor. Ejus contumeliæ nuncius ad Davidem delatus, non secus



ac par erat, Regem affecit. Jussi sunt Legati tam-  
 diu Jerichunte subsistere, donec recrescentibus pi-  
 lis, turpitudinis nota aboleretur. Cæterum ea Le-  
 gationis violatio, fatalis ac funesta fuit *Ammonitis* ;  
 cum enim minimè dubitarent, tantam se injuriam ;  
 Regi, opibus armisque potenti factam, haud impu-  
 nè laturos, ingentes *Syrorum* copias, mille talento-  
 rum mercede conduxerunt: Israëliitarum non e-  
 rant plures, viginti quatuor millibus, qui cum va-  
 lidissimo hoste prælium inirent. Infesti stabant ex-  
 ercitus ad ipsa regiae Ammonitarum urbis (*Rabbatha*,  
 seu *Rabba* vocabatur) mœnia ; aciem à fronte Ammo-  
 nitæ disposuerant ; à tergo Syri premebant ; Israëli-  
 tæ in medio concludendi erant, Qua re animad-  
 versa *Ioabus*, ut erat militaris artis apprimè gnarus,  
 copias suas bipartitò divisit ; ipse cum flore militiæ,  
 Syros invadit : reliquum militem frater *Abisai* in Am-  
 monitas ducit. Præliò vix tentatò vertuntur, in fu-  
 gam Syri, (DEO pavorem eis immittente) nec con-  
 stantiores Ammonitæ salutem & ipsi petunt à pedi-  
 bus ; *Ioabus* ad obsidendam Rabbatham necdum  
 satis instructus, Hierosolymam in hiberna revertit,  
 victoria contentus.

Anno sequenti Syri bellum redintegrant, ad ac-  
 cepti dedecoris infamiam delendam. Confluxère  
 ad signa Regis Syrorum *Adarezeris*, & *Sobachi*, ejus  
 militiæ principis, sub quatuor alijs regulis, centum  
 triginta octo millia, præter septingentos currus mi-  
 litares, & septem millia militum ex illis dimicanti-  
 um, ut planè videretur, de summa rei, & Orientis  
 imperio decernendum. Contraxit non minùs *Da-  
 vid*, quidquid poterat virium, priora decora novis  
 victo-

ON.  
 IO.  
 E.  
 IS  
 6. 299.  
 1054.  
 Majestas  
 Ammo-  
 decessit  
 , etiam  
 atos mi-  
 adhibe-  
 Legati  
 prolixè ;  
 Regem  
 rationis  
 Legatos  
 alumni-  
 fensioni  
 elut sce-  
 avit, &  
 s home-  
 dia bar-  
 que par-  
 us con-  
 fecus,



victorijs cumulaturus. Exorto utrinque prælio,  
 acriter aliquamdiu pugnatum est, donec Syri divi-  
 no iterum concussi metu, maxima strage succubu-  
 erunt, cæsis non minùs octoginta & septem homi-  
 num millibus, & in ijs *Sobacho* quoque supremo belli  
 duce. Rex *Adarezer* maturè sibi fugâ consuluit, vi-  
 tamque tributaria servitute, & renuntiatione sa-  
 deris Ammonitici redemit.

Itaque tota belli moles, Duce Joabo, in Ammo-  
 nitas, & ipsorum regiam civitatem, *Rabbatham* con-  
 versa est. Annum ampliùs duravit obsidio, victo-  
 riæ moram adferente, Davidis adulterio & homi-  
 cidio interea temporis commissô. Jam ad extrema  
 deducti erant obsessi, cùm Joabus per litteras sig-  
 nificat Regi, ut adesset urbis excidio, & hunc quo-  
 que titulum victorijs suis apponeret, munimenta-  
 que expugnati gloriam occuparet. David collatu-  
 datô Ducis sui officiô, fidèque, proficiscitur cum  
 selecta manu ad *Rabbatham* evastandam. Miles  
 præsentis auspicio Regis, & ductu animatus, mag-  
 na alacritate facit in muros impetum, effractisque  
 per vim portis irrumpit in urbem. In ipso aditu a-  
 cerrimum certamen consèritur: hinc Hebræis ad  
 vindictam & prædam anhelantibus; inde Ammo-  
 nitis pro aris & focis, pugnantibus; donec ad ex-  
 tremum Hebræo superante, urbs tota in potesta-  
 tem victoris irati venit. Promiscua cade in omnes  
 sævitum. Quidquid vasorum erat aureorum & ar-  
 genteorum, DEO consecratum; reliqua præda mi-  
 liti cessit, longè opulentissima; quòd in eam urbem  
 totius Regni opes, belli metu, fuissent congestæ.  
 Imprimis memorabilis fuit *Corona*, quam simulacro  
 suo



suo Molocho, regiam in formam efficto, Ammo-  
 nitæ publicis impensis imposuerant, aurò solido fab-  
 ricatam. Eam David cum cæteris spolijs avexit,  
 redegitque partim in diadema, suomet vertice ge-  
 standum; partim Divini *sacrarii*, *regiæq;* ornamen-  
 tis impendit. Urbs propter oppidanorum contu-  
 macem malitiam, inque contumeliæ Legatis illatæ  
 ultionem stirpitis destructa, & solo æquata; inco-  
 larum reliquiæ tam Rabbæ, quàm cæterarum ur-  
 bium carpentis ferratis, super eas agitatis, cœdè la-  
 ceratæ: cultris & ferris dissectæ, gladijs, securibus-  
 que truncatæ, ignibus fornacum lateritiarum cre-  
 mata, crudeli utique supplicio, & pernicioso in-  
 genus humanum exemplo, nisi justam victoris i-  
 ram, impietatis & flagitiorum immanium odia sti-  
 mulassent. Non enim est alia vindictæ justior cau-  
 sa, quàm injuria Legatis illata, quos qui violat, jus  
 gentium violat.

NARRATIO LXV.

DAVIDIS IN CRIMINA PROLAPSIO.

2. Reg. 11. Anno Mundi 2998. Ante Christum 1055.

**A** Nimi curâ vacantis affectio, est libido. Et  
 juxta Diogenem, negotium otiosorum est  
 amor, ac cupiditas. Quotque scintillas ja-  
 culatur fornax accensa, tot mala desideria suscitatur  
 mens otio æstuans. Post tot victorias illustres de  
 hostibus relatæ, cum David quadragesimum jam  
 & oct-